

**ORDO PRÆNOTANDA**

**SEU**

**NORMÆ GENERALES**

**DE CALENDARIO**

**DE OFFICIO DIVINO SEU LITURGIA HORARUM**

**DE MISSA**

**DE SUFFRAGIIS PRO DEFUNCTIS**

Pro Monasteriis  
Ordinis Cisterciensis  
Stricteris Observantiæ

# DE OPERE DEI

## I DE CALENDARIO

### A ANIMADVERSIO

1. In hoc ordine Operis Dei celebrationes signantur secundum Calendarium generale monasticum pro Ordine nostro, iuxta decreta S.C. pro Cultu divino diebus respective 27/4/1972 et 31/7/1972 data, necnon statutum Capituli Generalis O.N. de memoria Beatae Mariae Virginis in sabbato.

2. Hic ordo ab omnibus monasteriis OCso sequendus est, additis celebrationibus propriis iuxta Normas generales de anno liturgico et de calendario, necnon instructionem « de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis » a supradicta S.C. die 24/6/1970 datam.

### B DE CELEBRATIONIBUS ADDENDIS

Huic Calendario generali addendae sunt :

#### 1. Celebrationes locales

- a) sollemnitatis Patroni principalis oppidi vel civitatis ;
- b) festum Patroni principalis dioecesis, regionis aut provinciae, nationis vel amplioris territorii ;
- c) festum anniversarii Dedicationis ecclesiae cathedralis.

*Nota :* Memoria Patroni secundarii oppidi vel civitatis, dioecesis, regionis vel provinciae, nationis vel amplioris territorii, est obligatoria pro clero dioecesano tantum.

#### 2. Celebrationes propriae uniuscuiusque monasterii

- a) sollemnitatis anniversarii Dedicationis ecclesiae ;
- b) sollemnitatis Tituli (si praeter B.M.V. habetur) aut Fundatoris ;

*Nota:* Una tantum sollemnitatis in Calendario inscribitur, alia ut festum agenda est ; si vero Fundator sit tantum Beatus, ut festum recolitur.

- c) alia festa huic ecclesiae propria ;
- d) memoria Sancti vel Beati cuius corpus ibi asservatur ;
- e) aliae memoriae huic ecclesiae propriae.

### C TABULA DIERUM LITURGICORUM secundum ordinem praecedentiae disposita

#### I

#### 1. Triduum paschale Passionis et Resurrectionis Domini.

#### 2. Nativitas Domini, Epiphania, Ascensio et Pentecostes, Dominicae Adventus, Quadragesimae et Paschae.

Feria IV Cinerum.

Feriae hebdomadae sanctae, a feria II ad feriam V inclusive.

Dies infra octavam Paschae.

#### 3. Sollemnitates Domini, Beatae Mariae Virginis, Sanctorum, in Calendario generali Ecclesiae inscriptae.

Commemoratio omnium fidelium defunctorum, quae tamen locum cedit dominicae occurrenti.

#### 4. Sollemnitates propriae, nempe :

- a) Sollemnitatis Patroni principalis loci seu oppidi aut civitatis ;
- b) Sollemnitatis Dedicationis et anniversarii Dedicationis ecclesiae propriae ;
- c) Sollemnitatis Tituli (si forte, praeter B.M.V., habeatur) ;
- d) Sollemnitates Calendarii generalis Ordinis nostri, scilicet S.P.N. Benedicti Abbatis necnon Ss. Abbatum Fundatorum Cistercii vel S. Bernardi Abbatis et Ecclesiae Doctoris, si tamen sub hoc gradu celebratur ;

e) Sollemnitas Fundatoris (canonizati) Monasterii.

## II

5. Festa Domini.
6. Dominicae temporis Nativitatis et Dominicae « per annum ».
7. Festa Beatae Mariae Virginis et Sanctorum Calendarii generalis Ecclesiae.
8. Festa propria, nempe :
  - a) Festum Patroni principalis dioecesis ;
  - b) Festum anniversarii Dedicationis ecclesiae cathedralis ;
  - c) Festum Patroni principalis regionis aut provinciae, nationis, amplioris territorii ;
  - d) Festa Ss. Abbatum Fundatorum Cistercii vel S. Bernardi Abbatis et Ecclesiae Doctoris, si tamen sub hoc gradu celebratur ;
  - e) Festa propria Monasterii (uti Fundatoris beatificati) ;
  - f) Alia Festa inscripta in Calendario generali Ordinis nostri.
9. Ferae Adventus a die 17 ad diem 24 decembris inclusive.  
Dies infra octavam Nativitatis.  
Ferae Quadragesimae.

## III

10. Memoriae obligatoriae Calendarii generalis Ecclesiae.
11. Memoriae obligatoriae propriae, nempe :
  - a) Memoriae Patroni secundarii loci, dioecesis, regionis aut provinciae, nationis, amplioris territorii (si tamen in Calendario particulari inscriptae sunt) ;
  - b) aliae Memoriae obligatoriae alicui ecclesiae propriae ;
  - c) aliae Memoriae obligatoriae inscriptae in Calendario generali Ordinis nostri.

*Nota:* Quoad Memoriam B.M.V. in sabbato quae fit obligatoria iuxta statutum Capituli Generalis, salvo iure Calendarii particularis, vide infra.
12. Memoriae ad libitum, quae tamen, modo quidem particulari, fieri possunt etiam diebus de quibus sub n. 9. Hac eadem ratione ut memoriae ad libitum celebrari possunt memoriae obligatoriae quae accidentaliter occurrunt in feriis Quadragesimae.
13. Ferae Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive.  
Ferae temporis Nativitatis a die 2 ianuarii ad sabbatum post Epiphaniam.  
Ferae temporis paschalis a feria II post octavam Paschae ad sabbatum ante Pentecosten inclusive.  
Ferae per annum.

Interveniente tamen iusta causa, in aliquo Monasterio celebratio aliqua gradum superiorem obtinere potest quam in Calendario generali sive Ecclesiae sive Ordinis nostri.

## D DE OCCURRENTIA CELEBRATIONUM LITURGICARUM

1. Si eodem die plures celebrationes occurrunt, fit de ea quae in tabula dierum liturgicorum superiorem obtinet locum, iis servatis quae infra n. 2 dicuntur.
2. In occurrentia perpetua, sollemnitates et festa necnon memoriae Calendarii particularis quae impediuntur, assignentur proximiori diei non impedito sollemnitatibus vel festis, nisi ob rationes pastorales celebratio propria praeferenda sit ; memoriae vero Calendarii generalis in aliquo Calendario particulari in aliqua ecclesia impeditae omittuntur.
3. Si quodam anno sollemnitas impediatur, ad proximiorum diem transferatur qui liber sit a diebus sub nn. 1-8 in tabula praecedentiae recensitis. Dominicae vero Adventus, Quadragesimae et Paschae super omnia festa Domini et super omnes sollemnitates praecedentiam habent, sollemnitates autem in his dominicis occurrentes ad feriam secundam sequentem transferuntur, nisi agatur de occurrentia in Dominica in Palmis aut in Dominica Resurrectionis Domini (*Notitiae* 26,1990, pp. 161 et 163).
4. Si vero eodem die celebrandae sint Vesperae Officii currentis et I Vesperae diei sequentis, praevalent Vesperae celebrationis quae in tabula dierum liturgicorum superiorem obtinet locum ; in casu autem paritatis, Vesperae diei currentis.

## E DE MEMORIA B.M.V. IN SABBATO

Iuxta statutum Capituli Generalis Ordinis Nostri, in sabbatis per annum, in quibus non occurrat memoria obligatoria, celebranda est in ecclesiis nostris memoria de Beata Virgine Maria, nisi infra hebdomadam praecesserit aliqua celebratio in honorem eiusdem Beatae Mariae Virginis.

Exinde, in hoc ordine Operis Dei haec memoria ut obligatoria inscribitur et memoriae vel memoriis ad libitum hac die forte occurenti(bus) praefertur.

## II DE OFFICIO DIVINO SEU LITURGIA HORARUM

### A NORMAE GENERALES

(Decretum S.C. pro Cultu Divino, n. 1554/74, pro OCso)

1. Hae [Normae generales seu] « Praenotanda » minime intendunt doctrinam de Liturgia Horarum sed nec eius momentum illustrare volunt in vita christiana ; haec enim abundantissime exposita inveniuntur in Regula Sancti Benedicti, tum in documentis Concilii Vaticani II, cum in Institutione generali de Liturgia Horarum (IGLH).

Nostrum tantum hic est indicare praesertim quae ulteriorem determinationem postulant, ut Liturgia Horarum melius concretae situationi monachorum et monialium Ordinis Nostri respondeat.

2. Etsi communitates monasticae « Ecclesiae particulares » proprio sensu non sunt, nec a solis clericis constituuntur, tamen Ecclesiam orantem specialiter repraesentant ; etenim exemplar Ecclesiae, quae sine intermissione concordi voce Dominum laudat, plenius exhibent et officium implent 'adlaborandi' imprimis oratione ad aedificationem et incrementum totius mystici Corporis Christi et in bonum Ecclesiarum particularium.

3. In Liturgia Horarum a communitatibus monasticis ordinata, Ecclesia vocem agnoscit suam et per hierarchicam auctoritatem incessanter invigilat ut haec eadem oratio, dum exigentiis peculiaribus singularum communitatum respondet, semper tamen mysterii christiani exprimandi praestantiam servet.

4. Ea quae primitus a Regula Sancti Benedicti ac deinde ab ordinationibus ecclesiasticis circa Liturgiam Horarum disposita sunt respiciunt munus eandem Liturgiam persolvendi – sive cantando sive recitando - in choro. Abbati tamen cura et ius est determinandi modum quo singuli communitatis sodales partes in ea habeant.

5. Liturgia Horarum ordinatur secundum Regulae Sancti Benedicti praecepta, quae semper vitam orationis monachorum per tempora elapsa aluerunt eamque hodie animare queunt. Nihilominus facultas agnoscitur aptandi haec eadem praecepta condicionibus nostri temporis quae aliae in aliis regionibus habentur et percipiuntur.

6. Cum Liturgia Horarum huic spectet ut dies totaque operositas humana sanctificentur, communitas monastica hunc finem attingere intendit per celebrationem illarum orationis horarum, quae a Patribus traditae sunt.

Hora tamen Primae omitti potest.

Etsi Horae minores extra chorum peragi valeant, in communi tamen semper celebrentur. Ubi vero speciales circumstantiae difficilem reddent observationem huius praescriptionis, Abbas generalis, cum consensu sui Consilii, permittere potest ut una vel duae Horae minores omittantur<sup>1</sup>.

Si Hora quaedam Officii cum alia Hora vel cum Missa coniungitur, observantur ea quae in IGLH, nn. 93-99, praescribuntur.

7. Liturgia Horarum ita instruatur ut semper habeatur hymnus, psalmodia, deinde longior vel brevis Sacrarum Scripturarum lectio deinde deprecationes. Quoad modum psallendi, observantur ea quae in IGLH, nn. 121-125, dicuntur. Cantus gregorianus, utpote Liturgiae Romanae proprius, principem locum, ceteris paribus, obtineat. Si Liturgia Horarum lingua vernacula celebratur, elementa traditionalia et praesertim

---

<sup>1</sup> Prot. 6390/74, die 4 iunii 1974 : Vigore facultatum a Summo Pontifice tributarum, S. C. pro Religiosis annuit pro gratia iuxta preces, ea tamen lege, ut hora parva omissa privatim absolvatur, servatis ceteris servandis.

cantus ingenio linguae necnon indoli uniuscuiusque communitatis aptari possunt.

8. Cum Laudes, ut preces matutinae, et Vesperae, ut preces vespertinae, e venerabili universae Ecclesiae traditione duplex cardo Officii cotidiani, Horae praecipuae habendae sint et ita celebrandae, in quantum fieri potest, cantentur.

Vigiliae vero retinent indolem propriam nocturnae laudis, auroram praecedentis.

9. Pro opportunitate et prudentia, spatium silentii interponi licet aut post singulos psalmos secundum morem maiorum, et praecipue si post silentium additur oratio psalmica, aut post lectiones sive breves sive longiores.

10. Psalmorum distributio fieri potest : vel secundum ordinem in Regula Sancti Benedicti dispositum, vel secundum unum ex infrascriptis schematibus<sup>2</sup>, additis pro opportunitate et condicione locorum aptationibus, vel secundum aliud schema dummodo psalmi infra duas hebdomadas recitentur.

11. Cursus biennalis lectionum biblicarum pro Liturgia Horarum secundum ritum romanum stabilitus observetur, si opportunum videtur (cf. IGLH, nn. 145-146).

12. Supplementum continens lectiones Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum alias a ritu romano paratur pro usu monasteriorum. Insuper tamen Abbas, assentiente communitate, alios textus seligere valet, observatis normis de hac re a Sancta Sede editis.

## B ORDINARIUM LITURGIAE COTIDIANAE HORARUM ADHIBENDUM

(Decretum S.C. pro Cultu divino, ut supra)

### 1. VIGILIAE

a) Introductio Horae :

v/ *Domine, labia mea aperies,*

r/ *Et os meum annuntiabit laudem tuam. Gloria Patri...*

Invitatorium : Ps. 94 vel alius secundum diversa schemata, cum sua antiphona quae resumitur post unamquamque stropham.

b) Hymnus congruus

c) Psalmodia

d) Versus transitorius et R/

e) Lectio de Sacra Scriptura, cum suo responsorio, interposito pro opportunitate - ante vel post responsorium - spatio silentii.

f) Psalmodia

g) Versus transitorius et R/

h) Lectio Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum, cum suo responsorio, ut supra e).

i) Dominicis, sollempnitatibus et festis, adduntur elementa sequentia secundum quamlibet structuram infra descriptam ; quae tamen structura simplicior reddi potest diebus in quibus laboramus :

Vel : - Unum aut tria Cantica sub congruenti antiphona,  
- Versus transitorius,  
- Homilia e Lectionario Monastico vel ab Abbate habita,  
- Responsorium,  
- Hymnus *Te Deum* (cuius ultima pars pro opportunitate omitti potest),  
- Evangelium : vel de Resurrectione, vel de Dominica, vel ex alio circulo annuali desumptum, vel de sollempnitate aut de festo,  
- *Te decet Laus* ;

Vel : - Unum aut tria Cantica sub congruenti antiphona,  
- Hymnus *Te Deum*,  
- Evangelium ut supra, et r/ *Amen*,  
- *Te decet Laus*,  
- Homilia e Lectionario Monastico vel ab Abbate habita,  
- Responsorium ;

---

<sup>2</sup> Haec schemata inveniuntur in ed Ritualis cisterciensis 1998, p. 30-33.

- Vel :
- Unum aut tria Cantica sub congruenti antiphona,
  - Evangelium ut supra, et r/ Amen,
  - Pro opportunitate, lectio patristica vel homilia ab Abbate habita,
  - *Te Deum* ;

*Te Deum* vero non dicitur in Dominicis Quadragesimae.

k) Memoriis et feriis :

*Kyrie, eleison, ...* vel parva Litania, nempe pro fratribus absentibus, pro defunctis et aliis.

l) *Oremus* (silentium), Oratio conclusiva,

m) *Benedicamus Domino* et r/ *Deo gratias*.

## 2. LAUDES ET VESPERAE

a) Introductio Horae :

v/ *Deus, in adiutorium meum intende,*

r/ *Domine, ad adiuvandam me festina. Gloria Patri ...*

b) Hymnus congruus

c) Psalmodia

d) Lectio de Sacra Scriptura, sive brevis, sive longior, cum suo responsorio brevi

e) Canticum Evangelicum, cum sua antiphona

f) Conclusio Officii :

- Preces conclusivae instar precationum quae inveniuntur in Liturgia Horarum ritus romani,

- *Pater noster* ab omnibus simul, praemissa brevi monitione,

- Oratio conclusiva (sine *Oremus*) vel de die, vel Horae, vel de Sancto, secundum rubricas,

- Benedictio.

## 3. HORAE MINORES

a) Introductio Horae, sicut in Laudibus

b) Hymnus de Hora

c) Psalmodia

d) Lectio brevis de Sacra Scriptura

e) Versus et responsio

f) Conclusio Officii :

- *Kyrie, eleison ...*, vel parva Litania, nempe pro fratribus absentibus, pro defunctis et aliis,

- *Oremus* (silentium), Oratio conclusiva,

- *Benedicamus Domino* et r/ *Deo gratias*.

## 4. COMPLETORIUM

a) Introductio Horae, sicut in Laudibus

b) Pro opportunitate habetur conscientiae discussio quae vel fit silentio vel inseritur in actum paenitentialem secundum formulas Missalis

c) Hymnus congruus

d) Psalmodia

e) Lectio brevis de Sacra Scriptura

f) Versus *Custodi nos ...* et responsio

vel responsorium breve *In manus tuas ...*

g) Canticum Simeonis, cum sua antiphona

h) Conclusio Horae et diei :

- *Kyrie, eleison ...*, vel parva Litania, sicut in Horis minoribus,

- *Oremus* (silentium), Oratio conclusiva Horae,

- Benedictio *Noctem quietam ...*

- Antiphona *Salve Regina*.

## C DE CALENDARIO ADHIBENDO ET QUOMODO ORDINANDUM SIT OFFICIUM

Iuxta varietatem dierum liturgicorum, ad mentem IGLH pro ritu romano, in celebratione sive Mysteriorum Domini sive Sanctorum, partes Officii ita eligi possunt :

1. In Dominicis et feriis :

- omnia dicuntur ut in Ordinario, in Psalterio et in Proprio, secundum diversitatem temporum ;
- praeterea, Dominica die, dicuntur I et II Vesperae.

2. In sollemnitatibus :

- ad I Vesperas, Vigiliis, Laudes et II Vesperas, omnia dicuntur ut in Proprio vel Communi ;
- ad Horas minores, antiphona, lectio brevis (cum suo versu responsoriali) et oratio ut in Proprio vel Communi.

3. In festis :

- a) I Vesperae dicuntur tantum in festis Domini universalibus quae in Dominica occurrunt ;
- b) ad Vesperas, Vigiliis et Laudes, omnia dicuntur ut in Proprio vel Communi ;
- c) ad Horas minores, lectio brevis cum suo versu responsoriali et oratio tantum dicuntur ut in Proprio vel Communi ; antiphonae vero vel de festo praesertim si propriae habeantur, vel de die currenti hebdomadae.

4) In memoriis :

- a) ad Vigiliis, Laudes et Vesperas, oratio dicitur de memoria, psalmi vero cum suis antiphonis e feria currenti ; antiphona ad invitatorium, hymni, lectiones breves (cum suo responsorio), antiphonae ad *Benedictus* et *Magnificat*, propria si habentur, secus e feria vel Communi ;
- b) ad Horas minores, omnia dicuntur de feria currenti.

5. In quacumque celebratione :

- a) ad Vigiliis, Laudes et Vesperas, oratio conclusione longa explicit ;
- b) ad ceteras vero Horas, conclusione brevi.

6. Memoriae quae diebus a 17 ad 31 decembris et feriis Quadragesimae occurrunt (exclusis feriis IV Cinerum et Hebdomadae sanctae) plena celebratione privantur. Attamen :

- a) ad Vigiliis, addi potest lectio hagiographica propria cum eius responsorio et oratione de Sancto ;
- b) ad Laudes et Vesperas, post orationem, omissa conclusione, addi possunt antiphona et oratio de Sancto.

## D DE FACULTATE ELIGENDI ALIQUOD OFFICIUM VEL ALIQUAM EIUS PARTEM

1. Officium in choro et in communi persolvendum est iuxta Calendarium proprium monasterii ubi celebratur. In celebratione quae a solo fit, servari potest aut Calendarium loci aut Calendarium proprium, praeterquam in sollemnitatibus et festis propriis.

2. In feriis quae admittunt celebrationem memoriae ad libitum, iusta de causa celebrari potest, eodem ritu, Officium alicuius Sancti inscripti eo die in Martyrologio aut in eius Appendice rite approbata.

3. Extra sollemnitates, dominicas Adventus, Quadragesimae et Paschae, feriam IV Cinerum, Hebdomadam sanctam, octavam Paschae et diem 2 novembris publicam ob causam aut devotionis gratia celebrari potest, sive in toto sive ex parte, aliquod Officium votivum : quod fieri potest ex. c. ratione peregrinationis, festi localis, sollemnitatis externae alicuius Sancti.

4. In quibusdam casibus particularibus eligi possunt in Officio formularia diversa ab iis quae occurrunt, dummodo ne tangatur ordinatio generalis uniuscuiusque Horae et serventur regulae quae sequuntur :

a) Etsi unicuique observatio totius cursus Psalterii per hebdomadam (vel hebdomadas) distributi cordi esse debet, sunt tamen quaedam adiuncta per occasionem occurrentia, in quibus aptos psalmos et alias partes ad instar Officii votivi eligere licet.

b) In Officio vero dominicarum, sollemnitatum, festorum Domini quae inscripta sunt in Calendario generali, feriarum Quadragesimae et Hebdomadae sanctae, dierum infra octavas Paschae et Nativitatis, necnon feriarum a die 17 ad diem 24 decembris inclusive, numquam mutare licet ea formularia, quae sunt propria vel huic celebrationi accommodata, cuius generis sunt antiphonae, hymni, lectiones, responsoria, orationes et etiam saepissime psalmi.

### III DE MISSA

#### A DE MISSALI AC MISSAE CELEBRATIONE

1. Iuxta responsum a S.C. pro Cultu divino die 8 iunii 1971 Ordini nostro datum (Prot. 525/70), Missa ordinanda est ut in novo Missali, salvis tamen consuetudinibus Ritus Cisterciensis propriis, nempe :

- a) profunda inclinatio loco genuflexionis in Ritu romano praescriptae ;
- b) signum crucis magnum unicum, a fronte ad pectus et ab humero sinistro ad dextrum, ante Evangelium ;
- c) usus perficiendi certos ritus sub silentio, v. g. osculum textus Evangeliorum et lotionem manuum ;
- d) consuetudo antiqua praeparandi vinum cum aqua in calice antequam ad altare portetur.

2. Praeter textus novi Missalis :

- a) adhibendi sunt textus proprii ad usum Ordinis nostri quoties in Calendario nostro inscribuntur celebrationes propriae, iuxta decretum S.C. pro Cultu divino, die 16/9/1975 ;
  - b) adhiberi possunt textus ex antiquo Missali cisterciensi desumpti, qui non inveniuntur in novo Missali romano, si opus est debito modo recogniti (cf. ed. Ritualis Cisterciensis 1998) ;
- adhiberi possunt etiam orationes propriae decreto S.C. pro Sacramentis et Cultu divino approbatae die 9/5/1977 in honorem Sanctorum vel Beatorum Ordinis nostri in Martyrologio inscriptorum.

#### B DE MISSA ELIGENDA

1. In sollemnitatibus : iuxta calendarium ecclesiae in qua celebratur. Quoties vero in Missali, praeter Missam (matutinalem) diei currentis, datur Missa (vespertina) Vigiliae sive ante sive post I Vesperas alicuius sollemnitatis celebranda, pro Missa conventuali eligitur ea quae horae diei respondet.

2. In dominicis, in feriis Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae, in festis et memoriis obligatoriis :

- a) Missa conventualis celebratur iuxta calendarium monasterii ;
- b) si Missa cum populo celebratur, sacerdos sequatur calendarium ecclesiae in qua celebrat ;
- c) si Missa sine populo celebratur, sacerdos sequi potest aut calendarium ecclesiae aut calendarium proprium.

3. In memoriis ad libitum :

- a) in feriis Adventus a die 17 ad diem 24 decembris, infra octavam Nativitatis et in feriis Quadragesimae dicitur Missa de die liturgico occurrenti ; de memoria autem in Calendario generali eo die forte inscripta sumi potest collecta, dummodo non occurrat feria IV Cinerum aut feria Hebdomadae sanctae.
- b) in feriis Adventus ante diem 17 decembris, in feriis temporis Nativitatis et Paschae, eligi potest aut Missa de feria, aut Missa de Sancto, vel uno e Sanctis quorum fit memoria, aut Missa de aliquo Sancto eo die in Martyrologio inscripto.

4. In memoriis quae diebus a 17 ad 31 decembris et feriis Quadragesimae occurrunt (exclusis feriis IV Cinerum et Hebdomadae sanctae) et celebratione plena privantur, ad Missam dici potest collecta de Sancto.

5. In feriis « per annum », seligi potest :

- a) aut una ex 34 Missis dominicarum « per annum », in ea tamen orationes (vel collecta tantum) sumi possunt ex alia dominica « per annum » vel ex orationibus ad diversa ;
- b) aut Missa de aliquo Sancto eo die in Martyrologio inscripto ;
- c) aut Missa ad diversa vel votiva ;
- d) aut quaevis Missa defunctorum ; Missa tamen quotidiana pro defunctis applicanda est.

6. Talis electio sive Missae sive orationum, quando fieri potest ut supra, pendet :

- a) pro Missa conventuali ab Abbate, aut in monasteriis monialium ab Abbatissa ;
- b) pro Missa extra conventum celebrata, a sacerdote celebrante.

Attamen, quoties agitur de Missa sive conventuali sive cum populo, in primis bono spirituali sive fratrum aut sororum sive fidelium studeatur et caveatur ne quis suam propensionem imponat.



7. Occurrente aliqua graviore necessitate, Missa pro hac necessitate celebrari potest, de mandato vel licentia Ordinarii, omnibus diebus, exceptis sollempnitatibus et dominicis Adventus, Quadragesimae et Paschae.

8. Diebus quibus occurrit memoria obligatoria, si qua vera necessitas id postulet, in conventu vel in celebratione cum populo extra conventum adhiberi possunt Missae huic necessitati respondentes, de iudicio Abbatis aut Abbatissae vel ipsius sacerdotis celebrantis.

9. In Rogationibus et Quatuor anni Temporibus, Ecclesia solet pro variis hominum necessitatibus, imprimis vero pro fructibus terrae et hominum laboribus, Dominum exorare, eique publice gratias referre.

a) Attento quod a Conferentiis Episcopalibus, ut Rogationes et Quatuor Tempora diversis locorum et fidelium necessitatibus aptari possint, quoad tempus et rationem illa celebrandi ordinentur oporteat, convenit ut in Monasteriis nihil fiat nisi respectu habito eorum quae a Conferentia Episcopali regionis statuuntur. De eorum proinde amplitudine celebrationis per anni decursum, normae statuuntur a competenti auctoritate, attentis necessitatibus localibus.

b) Missa pro singulis diebus harum celebrationum inter votivas eligatur quae sit magis accomodata supplicationum proposito.

10. Initio Capituli Generalis Ordinis nostri tum Abbatum cum Abbatissarum, pro eius felici successu, die statuto, iuxta normas de Missa eligenda, in omnibus ecclesiis Ordinis nostri sollempniter celebranda est Missa conventualis votiva de Spiritu Sancto in qua dicuntur *Gloria in excelsis*, orationes propriae, si opportunum videtur etiam *Credo*, necnon praefatio propria de Spiritu Sancto.

## C DE LECTIONIBUS

1. Diebus dominicis et festis assignantur tres lectiones, sc. Prophetarum, Apostolorum et Evangeliorum. Attamen propter rationes ordinis pastoralis Conferentiae Episcopales duas tantum lectiones permittere possunt.

2. In lectionario feriali lectiones proponuntur pro singulis diebus hebdomadae per universum cursum anni : proinde hae lectiones plerumque sumuntur, diebus quibus sunt assignatae, nisi occurrat sollempnitas vel festum.

Si tamen aliquando lectio continua intermittitur ob aliquod festum vel aliquam peculiarem celebrationem, sacerdoti licebit, habita ordinatione lectionum totius hebdomadae, aut partes omittendas cum aliis componere, aut statuere quinam textus aliis praeferendi sint.

In Missis pro peculiaribus coetibus sacerdoti licebit textus peculiari celebrationi aptiores eligere, dummodo ex approbati lectionarii textibus seligantur.

Lectionarium feriale ne adhibeatur si memoria lectiones stricte proprias habeat (id est si de Sancto vel Mysterio loquantur) vel si lectiones feriales celebrationi aptae non sint.

In conventu, talis electio ab Abbate vel Abbatissa cum consilio fratrum vel sororum pendeat.

## D DE PRECIBUS EUCHARISTICIS

1. Solum illae Preces eucharisticae adhiberi possunt, quae in editione typica tertia Missalis inveniuntur, vel ab Apostolica Sede legitime probatae sunt, iuxta modos terminosque ab ea definitos pro diversis regionibus aut provinciis vel nationibus aut amplioribus territoriis ubi Monasteria Ordinis nostri inveniuntur.

2. Licet electio inter Preces eucharisticas normis n. 365 Institutionis Generalis Missalis opportune regatur, prae oculis etiam habenda est concessio quibusdam territoriis facta qua formulae variables (in Canone romano *Communicantes*, in P.E. II et III *Vere sanctus es*) ad dominicam vel salutis mysterii anniversaria celebranda adhiberi debent vel possunt. In tali casu, in hoc libello scribitur : Pf (et partes pr)...

3. In Missis praefationem propriam habentibus, adhiberi nequit Praefatio eucharistica quae dita sit praefatione inseparabili, id est quae unitatem efformet cum toto textu Precis eucharisticae : quod occurrere potest, praeterquam in IV P.E., etiam in aliis, Ecclesiis particularibus forsitan concessis. Normae pro singulis Precibus eucharisticis proferendis, in ipsis Precibus includuntur.

## E DE SACRA COMMUNIONE

Fideles, qui sanctissimam Eucharistiam iam receperunt, possunt eam eodem die iterum, id est altera tantum vice, sumere, intra aliam celebrationem eucharisticam quam participant (C.I.C. 917 et respectivam interpretationem authenticam diei 26/6/1984).

## APPENDIX

### DE SUFFRAGIIS PRO DEFUNCTIS

Haec sunt suffragia quae, iuxta Statutum Capituli Generalis Ordinis nostri, defunctis debemus :

1. Semel in anno, anniversarium quod « Commemoratio omnium fidelium defunctorum » nuncupatur, die statuto celebrandum.
  2. Semel in mense, die ab Abbate vel Abbatissa statuto et rubricis non impedito, Missa conventualis pro fratribus et sororibus Ordinis nostri, pro parentibus nostris et quibusdam aliis defunctis nobis peculiariter coniunctis ; fratres sacerdotes qui hac die Missam soli celebrant, idem faciunt ac fratres concelebrantes. Fieri etiam potest, si ita Abbati vel Abbatissae opportunum visum fuerit, celebratio Verbi.
  3. Singulis diebus, in Officio divino seu Liturgia Horarum, vel aliquod suffragium vel rogatio in oratione.
  4. Post acceptum mortis nuntium :
    - a) fratrum vel sororum Ordinis nostri, necnon patrum, matrum, fratrum, sororum et sponsorum ac filiorum nostrorum, in unaquaque Communitate, praeter Missam semel in mense, singuli fratres et singulae sorores faciant pro anima eius pium opus quod sibi melius visum fuerit ;
    - b) Summi Pontificis, Episcopi dioecesanis, Abbatis Generalis et Patris Immediati, Missa in conventu pro anima eius.
  5. In obitu alicuius fratris vel sororis e gremio :
    - a) vigiliae et exequiae necnon Missae iuxta Rituale nostrum ;
    - b) eleemosyna ex parte totius Communitatis ;
    - c) tres Missae quas singuli sacerdotes Communitatis celebrare debent post obitum (quae in conventu opportune celebrari vel concelebrari possunt die tertia, septima et tricesima post obitum, iuxta rubricas).

Attamen statuere potest Abbas vel Abbatissa cum consilio fratrum vel sororum aliquod suffragium amplius faciendum.
-